

Anzeigebblatt

für die Erzdiocese Freiburg.

Nro. 10.

Mittwoch, den 18. Juni

1884.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA
DE SECTA MASSONUM.

VENERABILIBUS FRATRIBUS
PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIIS ET EPISCOPIIS
CATHOLICI ORBIS UNIVERSIS
GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS.

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Humanum genus, postea quam a creatore, munerumque caelestium largitore Deo, *invidia Diaboli*, miserime defecit, in partes duas diversas adversasque discessit; quarum altera assidue pro veritate et virtute propugnat, altera pro iis, quae virtuti sunt veritatisque contraria. — Alterum Dei est in terris regnum, vera scilicet Iesu Christi Ecclesia, cui qui volunt ex animo et convenienter ad salutem adhaerescere, necesse est Deo et Unigenito Filio eius tota mente ac summa voluntate servire: alterum Satanae est regnum, cuius in ditioe et potestate sunt quicumque funesta ducis sui et primorum parentum exempla secuti, parere divinae aeternaeque legi recusant, et multa posthabito Deo, multa contra Deum contendunt. Duplex hoc regnum, duarum instar civitatum, contrariis legibus contraria in studia abeuntium, acute vidit descripsitque Augustinus, et utriusque efficientem causam subtili brevitate complexus est, iis verbis: *fecerunt civitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei: caelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui*¹⁾. — Vario ac multiplici cum armorum tum dimicationis genere altera adversus alteram omni saeculorum aetate confluxit, quamquam non eodem semper ardore atque impetu. Hoc autem tempore, qui deterioribus favent partibus videntur simul conspirare vehementissimeque cuncti contendere, auctore et adiutrice ea, quam *Massonum* appellant, longe lateque diffusa et firmiter constituta hominum societate. Nihil enim iam dissimulantes consilia sua, excitant sese adversus Dei numen audacissime: Eccle-

siae sanctae perniciem palam aperteque moliuntur, idque eo proposito, ut gentes christianas partis per Iesum Christum Servatorem beneficiis, si fieri posset, funditus despolient. — Quibus Nos ingemiscences malis, illud saepe ad Deum clamare, urgente animum caritate, compellimur: *Ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te extulerunt caput. Super populum tuum malignaverunt consilium, et cogitaverunt adversus sanctos tuos. Dixerunt: venite, disperdamus eos de gente*²⁾.

In tam praesenti discrimine, in tam immani pertinacique christiani nominis oppugnatione, Nostrum est indicare periculum, designare adversarios, horumque consiliis atque artibus, quantum possumus, resistere, ut aeternum ne pereant quorum Nobis est commissa salus: et Iesu Christi regnum, quod tuendum accepimus, non modo stet et permaneat integrum, sed novis usque incrementis ubique terrarum amplificetur.

Romani Pontifices Decessores Nostri, pro salute populi christiani sedulo vigilantes, hunc tam capitalem hostem ex occultae coniurationis tenebris prosilientem, quis esset, quid vellet, celeriter agnoverunt; iidemque praecipientes cogitatione futura, principes simul et populos, signo velut dato, monuerunt ne se paratis ad decipiendum artibus insidiisque capi paterentur. — Prima significatio periculi per Clementem XII anno MDCCXXXVIII facta³⁾: cuius est a Benedicto XIV⁴⁾ confirmata ac renovata Constitutio. Utriusque vestigiis ingressus est Pius VII⁵⁾: ac Leo XII Constitutione Apostolica „*Quo graviora*“⁶⁾ superiorum Pontificum hac

1) De Civit. Dei Lib. XIV, c. 17.

2) Ps. 82 v. 2-4.

3) Const. *In eminenti*, die 24 Aprilis 1738.

4) Const. *Providas*, die 18 Maii 1751.

5) Const. *Ecclesiam a Iesu Christo*, die 13 Septembris 1821.

6) Const. data die 13 Martii 1825.

de re acta et decreta complexus, rata ac firma in perpetuum esse iussit. In eandem sententiam Pius VIII, ⁷⁾ Gregorius XVI ⁸⁾, persaepe vero Pius IX ⁹⁾ locuti sunt.

Videlicet cum sectae Massonicae institutum et ingenium compertum esset ex manifestis rerum indiciis, cognitione caussarum, prolatis in lucem legibus eius, ritibus, commentariis, ipsis saepe accedentibus testimoniis eorum qui essent conscii, haec Apostolica Sedes denunciavit aperteque edixit, sectam Massonum, contra ius fasque constitutam, non minus esse christianae rei, quam civitati perniciosam: propositisque poenis, quibus solet Ecclesia gravius in fontes animadvertere, interdixit atque imperavit, ne quis illi nomen societati daret. Quae ex re irati gregales, earum vim sententiarum subterfugere aut debilitare se posse partim contemnendo, partim calumniando rati, Pontifices maximos, qui ea decreverant, criminati sunt aut non iusta decrevisse, aut modum in decernendo transisse. Hac sane ratione Constitutionum Apostolicarum Clementis XII, Benedicti XIV, itemque Pii VII et Pii IX conati sunt auctoritatem et pondus eludere. Verum in ipsa illa societate non defuere, qui vel inviti faterentur, quod erat a romanis Pontificibus factum, id esse, spectata doctrina disciplinae catholica, iure factum. In quo Pontificibus valde assentiri plures viri principes rerumque publicarum rectores visi sunt, quibus curae fuit societatem Massonicam vel apud Apostolicam Sedem arguere, vel per se, latis in id legibus, noxae damnare, ut in Hollandia, Austria, Helvetia, Hispania, Bavaria, Sabaudia aliisque Italiae partibus.

Quod tamen prae ceteris interest, prudentiam Decessorum Nostrorum rerum eventus comprobavit. Ipsorum enim providae paternaeque curae nec semper nec ubique optatos habuerunt exitus: idque vel hominum, qui in ea noxa essent, simulatione et astu, vel inconsiderata levitate ceterorum, quorum maxime interfuisset diligenter attendere. Quare unius saeculi dimidiatique spatio secta Massonum ad incrementa properavit opinione maiora; inferendoque sese per audaciam et dolos in omnes reipublicae ordines, tantum iam posse coepit, ut prope dominari in civitatibus videatur. Ex hoc tam celeri formidolosoque cursu illa revera est in Ecclesiam, in potestatem principum, in salutem publicam perniciis consecuta, quam Decessores Nostri multo ante providerant. Eo enim perventum est, ut valde sit reliquo tempore metuendum non Ecclesiae quidem, quae longe firmissimum habet fundamentum, quam ut hominum opera labefactari queat, sed earum caussa civitatum, in quibus nimis polleat ea, de qua loquimur, aut aliae hominum sectae non absimiles, quae priori illi sese administras et satellites impertiunt.

His de caussis, ubi primum ad Ecclesiae gubernacula accessimus, vidimus planeque sensim huic tanto malo resistere oppositu auctoritatis Nostrae, quoad fieri posset, oportere. — Sane opportunam saepius occasionem nacti, persecuti sumus praecipua quaedam doctrinarum capita, in quas Massonicarum opinionum influxisse maxime perversitas videbatur. Ita Litteris Nostris Encyclicis „*Quod Apostolici muneris*“ aggressi sumus *Socialistarum* et *Communistarum* portenta convincere: aliis deinceps „*Arcanum*“ veram germanamque notionem so-

cietatis domesticae, cuius est in matrimonio fons et origo, tuendam et explicandam curavimus: iis insuper, quarum initium est „*Diuturnum*“, potestatis politicae formam ad principia christianae sapientiae expressam proposuimus, cum ipsa rerum natura, cum populorum principumque salute mirifice cohaerentem. Nunc autem, Decessorum Nostrorum exemplo, in Massonicam ipsam societatem, in doctrinam eius universam, et consilia, et sentiendi consuetudinem et agendi, animum recta intendere decrevimus, quo vis illius malefica magis magisque illustretur, idque valeat ad funestae pestis prohibenda contagia.

Variae sunt hominum sectae, quae quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen communione quadam propositi summarumque sententiarum similitudine inter se contineantur, re congruunt cum secta Massonum, quae cuiusdam est instar centri unde abeunt et quo redeunt universae. Quae quamvis nunc nolle admodum videantur latere in tenebris, et suos agant coetus in luce oculisque civium, et suas edant ephemeridas, nihilominus tamen, re penitus perspecta, genus societatum clandestinarum moremque retinent. Plura quippe in iis sunt arcanis similia, quae non externis solum, sed gregales etiam bene multos exquisitissima diligentia celari lex est: cuiusmodi sunt intima atque ultima consilia, summi factionum principes, occulta quaedam et intestina conventicula: item decreta, et quae via, quibus auxiliis perficienda. Huc sane facit multiplex illud inter socios discrimen et iuris et officii et muneris: huc rata ordinum graduumque distinctio, et illa, qua reguntur, severitas disciplinae. Initiales spondere, immo praecipuo sacramento iurare ut plurimum iubentur, nemini se ullo unquam tempore ullo modo socios, notas, doctrinas indicaturos. Sic ementita specie eodemque semper tenore simulationis quam maxime Massones, ut olim Manichaei, laborant abdere sese, nullosque, praeter suos, habere testes. Latebras commodum quaerunt, sumpta sibi litteratorum sophorumve persona, eruditionis caussa sociatorum: habent in lingua promptum cultioris urbanitatis studium, tenuioris plebis caritatem: unice velle se meliores res multitudini quaerere, et quae habentur in civili societate commoda cum quamplurimis communicare. Quae quidem consilia quamvis vera essent, nequaquam tamen in istis omnia. Praeterea qui cooptati sunt, promittant ac recipiant necesse est, ducibus ac magistris se dicto audientes futuros cum obsequio fideique maxima: ad quemlibet eorum nutum significationemque paratos, imperata facturos: si secus fecerint, tum dira omnia ac mortem ipsam non recusare. Revera si qui prodidisse disciplinam, vel mandatis restitisse iudicentur, supplicium de iis non raro sumitur, et audacia quidem ac dexteritate tanta, ut speculatricem ac vindicem scelerum iustitiam sicarius persaepe fallat. — Atqui simulare, et velle in occulto latere; obligare sibi homines, tamquam mancipia, tenacissimo nexu, nec satis declarata caussa: alieno addictos arbitrio ad omne facinus adhibere: armare ad caedem dexteras, quaesita impunitate peccandi, immanitas quaedam est, quam rerum natura non patitur. Quapropter societatem, de qua loquimur, cum iustitia et naturali honestate pugnare, ratio et veritas ipsa vincit.

Eo vel magis, quod ipsius naturam ab honestate dissidentem alia quoque argumenta eademque illustrata redarguunt. Ut enim magna sit in hominibus astutia

7) Encyc. *Traditi*, die 21 Maii 1829.

8) Encyc. *Mirari*, die 15 Augusti 1832.

9) Encyc. *Qui pluribus*, die 9 Novemb. 1846. Alloc. *Multiplices inter*, die 25 Septemb. 1865, etc.

celandi consuetudoque mentiendi, fieri tamen non potest, ut unaquaeque causa ex iis rebus, quarum causa est, qualis in se sit non aliqua ratione appareat. *Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere*¹⁰⁾. Fructus autem secta Massonum perniciosos gignit maximaque acerbitate permixtos. Nam ex certissimis indiciis, quae supra commemoravimus, erumpit illud, quod est consiliorum suorum ultimum, scilicet evertere funditus omnem eam, quam instituta christiana pepererunt, disciplinam religionis reique publicae, novamque ad ingenium suum extruere, ductis e medio *Naturalismo* fundamentis et legibus.

Haec, quae diximus aut dicturi sumus, de secta Massonica intelligi oportet spectata in genere suo, et quatenus sibi cognatas foederatasque complectitur societates: non autem de sectatoribus earum singulis. In quorum numero utique possunt esse, nec pauci, qui quamvis culpa non careant quod sese istius modi implicuerint societatibus, tamen nec sint flagitiose factorum per se ipsi participes, et illud ultimum ignorent quod illae nituntur adipisci. Similiter ex consociationibus ipsis nonnullae fortasse nequaquam probant conclusiones quasdam extremas, quas, cum ex principiis communibus necessario consequantur, consentaneum esset amplectari, nisi per se foeditate sua turpitudine ipsa deterreret. Item nonnullas locorum temporumve ratio suadet minora conari, quam aut ipsae vellent aut ceterae solent: non idcirco tamen alienae a Massonico foedere putandae, quia Massonicum foedus non tam est ab actis perfectisque rebus, quam a sententiarum summa iudicandum.

Iamvero Naturalistarum caput est, quod nomine ipso satis declarant, humanam naturam humanamque rationem cunctis in rebus magistram esse et principem oportere. Quo constituto, officia erga Deum vel minus curant, vel opinionibus pervertunt errantibus et vagis. Negant enim quicquam esse Deo auctore traditum: nullum probant de religione dogma, nihil veri, quod non hominum intelligentia comprehendat, nullum magistrum, cui propter auctoritatem officii sit iure credendum. Quoniam autem munus est Ecclesiae catholicae singulare sibi unice proprium, doctrinas divinitus acceptas auctoritatemque magisterii cum ceteris ad salutem caelestibus adiumentis plene complecti et incorrupta integritate tueri, idcirco in ipsam maxima est inimicorum iracundia impetusque conversus. — Nunc vero in iis rebus, quae religionem attingunt, spectetur quid agat, praesertim ubi est ad agendi licentiam liberior, secta Massonum: omninoque iudicetur, nonne plane re exequi Naturalistarum decreta velle videatur. Longo sane pertinacique labore in id datur opera, nihil ut Ecclesiae magisterium, nihil auctoritas in civitate possit: ob eamque causam vulgo praedicant et pugnant, rem sacram remque civilem esse penitus distrahendas. Quo facto saluberrimam religionis catholicae virtutem a legibus, ab administratione reipublicae excludunt: illudque est consequens, ut praeter instituta ac praecepta Ecclesiae totas constituendas putent civitates. — Nec vero non curare Ecclesiam, optimam duce, satis habent, nisi hostiliter faciendo laeserint. Et sane fundamenta ipsa religionis catholicae adoriri fando, scribendo, docendo, impune licet: non iuribus Ecclesiae parcitur, non munera, quibus est divinitus aucta, salva sunt. Agendarum

rerum facultas quam minima illa relinquitur, idque legibus specie quidem non nimis vim inferentibus, re vera natis aptis ad impediendam libertatem. Item impositas Clero videmus leges singulares et graves, multum ut ei de numero, multum de rebus necessariis in dies decedat: reliquias bonorum Ecclesiae maximis adstrictas vinculis, potestati et arbitrio administratorum reipublicae permissas: sodalitates ordinum religiosorum sublatas, dissipatas. — At vero in Sedem Apostolicam romanumque Pontificem longe est inimicorum incitata contentio. Is quidem primum fictis de causis deturbatus est propugnaculo libertatis iurisque sui, principatu civili: mox in statum compulsus iniquum simul et obiectis undique difficultatibus intolerabilem: donec ad haec tempora perventum est, quibus sectarum fautores, quod abscondite secum agitarant diu, aperte denunciant, sacram tollendam Pontificum potestatem, ipsumque divino iure institutum funditus delendum Pontificatum. Quam rem, si cetera deessent, satis indicat hominum qui conscii sunt testimonium, quorum plerique cum saepe alias, tum recenti memoria rursus hoc Massonum verum esse declararunt, velle eos maxime exercere catholicum nomen implacabilibus inimicitiis, nec ante quieturos, quam excisa omnia viderint, quaecumque summi Pontifices religionis causa instituissent. — Quod si, qui adscribuntur in numerum, nequaquam eiurare conceptis verbis instituta catholica iubentur, id sane tantum abest, ut consiliis Massonum repugnet, ut potius adserviat. Primum enim simplices et incautos facile decipiunt hac via, multoque pluribus invitamenta praebent. Tum vero obviis quibuslibet ex quovis religionis ritu accipiendis, hoc assequuntur, ut re ipsa suadeant magnum illum huius temporis errorem, religionis curam relinqui oportere in mediis, nec ullum esse inter genera discrimen. Quae quidem ratio comparata ad interitum est religionum omnium, nominatim ad catholicae, quae cum una ex omnibus vera sit, exaequari cum ceteris sine iniuria summa non potest.

Sed longius Naturalistae progrediuntur. In maximis enim rebus tota errare via audacter ingressi, praecipiti cursu ad extrema delabuntur, sive humanae imbecillitate naturae, sive consilio iustas superbiae poenas repetentis Dei. Ita fit, ut illis ne ea quidem certa et fixa permaneant, quae naturali lumine rationis perspicuntur, qualia profecto illa sunt, Deum esse, animos hominum ab omni esse materiae concretionem segregatos, eosdemque immortales. — Atqui secta Massonum ad hos ipsos scopulos non dissimili cursu errore adhaerescit. Quamvis enim Deum esse generatim profiteantur, id tamen non haerere in singulorum mentibus firma assensione iudicioque stabili constitutum, ipsi sibi sunt testes. Neque enim dissimulant, hanc de Deo quaestionem maximum apud ipsos esse fontem causamque dissidii: immo haud ita pridem non mediocrem hac ipsa de re constat exitisse inter eos contentionem. Re autem vera initiatis magnam secta licentiam dat, ut alterutrum liceat suo iure defendere, Deum esse, Deum nullum esse: et qui nullum esse praefracte contendunt, tam facile initiantur, quam qui Deum esse opinantur quidem, sed de eo prava sentiunt, ut Pantheistae solent: quod nihil est aliud, quam divinae naturae absurdam quamdam speciem retinere, veritatem tollere. Quo everso infirmatove maximo fundamento, consequens est ut illa quoque vacillent, quae natura admonente cognoscuntur, cunctas res libera creatoris Dei voluntate ex-

10) Matth. VII, 18

tissime: mundum providentia regi: nullum esse animorum interitum: huic, quae in terris agitur, hominum vitae successuram alteram eamque sempiternam.

His autem dilapsis, quae sunt tamquam naturae principia, ad cognitionem usumque praecipua, quales futuri sint privati publicique mores, facile apparet. — Silemus de virtutibus diviniorebus, quas absque singulari Dei munere et dono nec exercere potest quisquam, nec consequi: quarum profecto necesse est nullum in iis vestigium reperiri, qui redemptionem generis humani, qui gratiam caelestem, qui sacramenta, adipiscendamque in caelis felicitatem pro ignotis aspernantur. — De officiis loquimur, quae a naturali honestate ducuntur. Mundi enim opifex idemque providus gubernator Deus: lex aeterna naturalem ordinem conservari iubens, perturbari vetans: ultimus hominum finis multo excelsior rebus humanis extra haec mundana hospitia constitutus: hi fontes, haec principia sunt totius iustitiae et honestatis. Ea si tollantur, quod Naturalistae idemque Massones solent, continuo iusti et iniusti scientia ubi consistat et quo se tueatur, omnino non habebit. Et sane disciplina morum, quae Massonum familiae probatur unice, et qua informari adolescentem aetatem contendunt oportere, ea est quam et *civicam* nominant et *solutam* ac *liberam*; scilicet in qua opinio nulla sit religionis inclusa. At vero quam inops illa sit, quam firmitatis expers, et ad omnem auram cupiditatum mobilis, satis ostenditur ex iis, qui partim iam apparent, poenitendis fructibus. Ubi enim regnare illa liberius coepit, demota loco institutione christiana, ibi celeriter deperire prohi integrique mores: opinionum tetra portenta convalescere: plenoque gradu audacia ascendere maleficiorum. Quod quidem vulgo conqueruntur et deplorant: idemque non pauci ex iis, qui minime vellent, perspicua veritate compulsi, haud raro testantur.

Praeterea; quoniam est hominum natura primi labe peccati inquinata, et ob hanc caussam multo ad vitia quam ad virtutes propensior, hoc omnino ad honestatem requiritur, cohibere motus animi turbidos et appetitus obedientes facere rationi. In quo certamine despicientia saepissime adhibenda est rerum humanarum, maximique exhauriendi labores ac molestiae, quo suum semper teneat ratio victrix principatum. Verum Naturalistae et Massones, nulla adhibita iis rebus fide, quas Deo auctore cognovimus, parentem generis humani negant deliquisse: proptereaque liberum arbitrium nihil *viribus attenuatum et inclinatum* ¹¹⁾ putant. Quin immo exaggerantes naturae virtutem et excellentiam, in eaque principium et normam iustitiae unice collocantes, ne cogitare quidem possunt, ad sedandos illius impetus regendosque appetitus assidua contentione et summa opus esse constantia. Ex quo videmus vulgo suppeditari hominibus illecebras multas cupiditatum: ephemeridas commentariosque nulla nec temperantia nec verecundia: ludos scenicos ad licentiam insignes: argumenta artium ex iis, quas vocant *verismi*, legibus proterve quaesita: excogitata subtiliter vitae artificia delicatae et mollis: omnia denique conquisita voluptatum blandimenta, quibus sopita virtus conniveat. In quo flagitiose faciunt, sed sibi admodum constant, qui expectationem tollunt bonorum caelestium, omnemque ad res mortales felicitatem abiiciunt et quasi demergunt in terram. — Quae autem commemorata sunt, illud confirmare potest non tam re,

quam dictu inopinatum. Cum enim hominibus versutis et callidis nemo fere soleat tam obnoxie servire, quam quorum est cupiditatum dominatu enervatus et fractus animus, reperti in secta Massonum sunt, qui edicerent ac proponerent, consilio et arte enitendum ut infinita vitiorum licentia exsaturetur multitudo: hoc enim facto, in potestate sibi et arbitrio ad quaelibet audenda facile futuram.

Quod ad convictum attinet domesticum, his fere continetur omnis Naturalistarum disciplina. Matrimonium ad negotiorum contrahendorum pertinere genus: rescindi ad voluntatem eorum, qui contraxerint, iure posse: penes gubernatores rei civilis esse in maritale vinculum potestatem. In educandis liberis nihil de religione praecipiat ex certa destinataque sententia: integrum singulis esto, cum adoleverit aetas, quod maluerint sequi. — Atqui haec ipsa assentiuntur plane Massones: neque assentiuntur solum, sed iamdiu student in morem consuetudinemque deducere. Multis iam in regionibus, iisdemque catholici nominis, constitutum est ut, praeter coniunctas ritu civili, iustae ne habeantur nuptiae: alibi divortia fieri, lege licet: alibi, ut quamprimum liceat, datur opera. Ita ad illud festinat cursus, ut matrimonia in aliam naturam convertantur, hoc est in coniunctiones instabiles et fluxas, quas libido conglutinet, et eadem mutata dissolvat. — Summa autem conspiratione voluntatum illuc etiam spectat secta Massonum, ut institutionem ad se rapiat adolescentium. Mollem enim et flexibilem aetatem facile se posse sentiunt arbitrato suo fingere, et, quo velint, torquere: eaque re nihil esse opportunius ad sobolem civium, qualem ipsi meditantur, talem reipublicae educendam. Quocirca in educatione doctrinaque puerili nullas Ecclesiae ministris nec magisterii nec vigilantiae sinunt esse partes: pluribusque iam locis consecuti sunt, ut omnis sit penes viros laicos adolescentium institutio: itemque ut in mores informandos nihil admisceatur de iis, quae hominem iungunt Deo, permagnis sanctissimisque officiis.

Sequuntur civilis decreta prudentiae. Quo in genere statuunt Naturalistae, homines eodem esse iure omnes, et aequa ac pari in omnes partes conditione: unumquemque esse natura liberum: imperandi alteri ius habere neminem: velle autem, ut homines cuiusquam auctoritati pareant, aliunde quam ex ipsis quaesita, id quidem esse vim inferre. Omnia igitur in libero populo esse: imperium iussu vel concessu populi teneri, ita quidem, ut, mutata voluntate populari, principes de gradu deiici vel invitos liceat. Fontem omnium iurium officiorumque civilium vel in multitudine inesse, vel in potestate gubernante civitatem, eaque novissimis informata disciplinis. Praeterea atheam esse rempublicam oportere: in variis religionis formis nullam esse causam, cur alia alii anteponatur: eodem omnes loco habendas.

Haec autem ipsa Massonibus aequae placere, et ad hanc similitudinem atque exemplar velle eos constituere res publicas, plus est cognitum, quam ut demonstrari oporteat. Iamdiu quippe omnibus viribus atque opibus id aperte moliantur: et hoc ipso expediunt viam audacioribus non paucis ad peiora praecipitantibus, ut qui aequationem cogitant communionemque omnium bonorum, deleto ordinum et fortunarum in civitate discrimine.

Secta igitur Massonum quid sit, et quod iter affectet, ex his, quae summatim attigimus, satis elucet. Praecipua ipsorum dogmata tam valde a ratione ac tam manifesto

11) Conc. Trid. Sess. VI, *De Iustif.* c. 1.

discrepant, ut nihil possit esse perversius. Religionem et Ecclesiam, quam Deus ipse condidit, idemque ad immortalitatem tuetur, velle demoliri, moresque et instituta ethnicorum duodeviginti saeculorum intervallo revocare, insignis stultitiae est impietatisque audacissimae. Neque illud vel horribile minus, vel levius ferendum, quod beneficia repudientur per Iesum Christum benigne parta neque hominibus solum singulis, sed vel familia vel communitate civili consociatis; quae beneficia ipso habentur inimicorum iudicio testimonioque maxima. In huiusmodi voluntate vesana et tetra recognosci propemodum videtur posse illud ipsum, quo Satanas in Iesum Christum ardet, in-expiabile odium ulciscendique libido. — Similiter illud alterum, quod Massones vehementer conantur, recti atque honesti praecipua fundamenta evertere, adiutoresque se praebere iis, qui more pecudum quodcumque libeat, idem licere vellent, nihil est aliud quam genus humanum cum ignominia et dedecore ad interitum impellere. — Augent vero malum ea, quae in societatem cum domesticam tum civilem intenduntur pericula. Quod enim alias exposuimus, inest in matrimonio sacrum et religiosum quiddam omnium fere et gentium et aetatum consensu: divina autem lege cautum esse, ne coniugia dirimi liceat. Ea si profana fiant, si distrahi liceat, consequatur in familia necesse est turba et confusio, excidentibus de dignitate feminis, incerta rerum suarum incolunitatisque sobole. — Curam vero de religione publice adhibere nullam, et in rebus civicis ordinandis, gerendis, Deum nihilo magis respicere, quam si omnino non esset, temeritas est ipsis ethnicis inaudita; quorum in animo sensuque erat sic penitus affixa non solum opinio Deorum, sed religionis publicae necessitas, ut inveniri urbem facilius sine solo, quam sine Deo posse arbitrarentur. Revera humani generis societas, ad quam sumus natura facti, a Deo constituta est naturae parente: ab eoque tamquam a principio et fonte tota vis et perennitas manat innumerabilium, quibus illa abundat, bonorum. Igitur quemadmodum singuli pie Deum sancteque colere ipsa naturae voce admonemur, propterea quod vitam et bona quae comitantur vitae a Deo accepimus, sic eandem ob causam populi et civitates. Idcirco qui solutam omni religionis officio civilem communitatem volunt, perspicuum est non iniuste solum, sed etiam indocte absurdeque facere. — Quod vero homines ad coniunctionem congregationemque civilem Dei voluntate nascuntur, et potestas imperandi vinculum est civilis societatis tam necessarium ut, eo sublato, illam repente dirumpi necesse sit, consequens est ut imperandi auctoritatem idem gignat, qui genuit societatem. Ex quo intelligitur, imperium in quo sit, quicumque is est, ministrum esse Dei. Quapropter, quatenus finis et natura societatis humanae postulant, legitimae potestati iusta praecipiente aequum est parere perinde ac numini omnia moderantis Dei: illudque in primis a veritate abhorret, in populi esse voluntate positum obedientiam, cum libitum fuerit, abiicere. — Similiter, pares inter se homines esse universos, nemo dubitat, si genus et natura communis, si finis ultimus unicuique ad assequendum propositus, si ea, quae inde sponte fluunt, iura et officia spectentur. At vero quia ingenia omnium paria esse non possunt, et alius ab alio distat vel animi vel corporis viribus, plurimaeque sunt morum, voluntatis, naturarum dissimilitudines, idcirco nihil tam est repugnans rationi, quam una velle comprehensione omnia complecti, et illam omnibus partibus expletam aequabilitatem ad vitae civilis instituta traducere. Quemadmodum per-

fectus corporis habitus ex diversorum existit iunctura et compositione membrorum, quae forma usuque differunt, compacta tamen et suis distributa locis complexionem efficiunt pulchram specie, firmam viribus, utilitate necessariam: ita in republica hominum quasi partium infinita propemodum est dissimilitudo: qui si habeantur pares arbitriumque singuli suum sequantur, species erit civitatis nulla deformior: si vero dignitatis, studiorum, artium distinctis gradibus, apte ad commune bonum conspirent, bene constitutae civitatis imaginem referent congruentemque naturae.

Ceterum ex iis, quos commemoravimus, turbulentis erroribus maximae sunt civitatibus extimescendae formidines. Nam sublato Dei metu legumque divinarum verecundia, despecta principum auctoritate, permessa probataque seditionum libidine, proiectis ad licentiam cupiditatibus popularibus, nullo nisi poenarum freno, necessario secutura est rerum omnium commutatio et eversio. Hanc immo commutationem eversionemque consulto meditantur, idque prae se ferunt, plurimi *Communistarum* et *Socialistarum* consociati greges: quorum coeptis alienam ne se dixerit secta Massonum, quae et consiliis eorum admodum favet, et summa sententiarum capita cum ipsis habet communia. Quod si nec continuo nec ubique ad extrema experiendo decurrunt, non ipsorum est disciplinae, non voluntati tribuendum, sed virtuti religionis divinae, quae extingui non potest, itemque saniori hominum parti, qui societatum clandestinarum recusantes servitutem, insanos eorum conatus forti animo refutant.

Atque utinam omnes stirpem ex fructibus iudicarent, et malorum quae premunt, periculorum quae impendent, semen et initium agnoscerent! Res est cum hoste fallaci et doloso, qui serviens auribus populorum et principum, utrosque mollibus sententiis et assentatione cepit. — Insinuando sese ad viros principes simulatione amicitiae, hoc spectarunt Massones, illos ipsos habere ad opprimendum catholicum nomen socios et adiutores potentes: quibus quo maiores admoverent stimulos, pervicaci calumnia Ecclesiam criminati sunt de potestate iuribusque regiis cum principibus invidiose contendere. His interim artibus quaesita securitate et audacia, plurimum pollere in regendis civitatibus coeperunt, ceterum parati imperiorum fundamenta quatere, et insequi principes civitatis, insimulare, eiicere, quoties facere secus in gubernando viderentur, quam illi maluissent. — Haud absimili modo populos assentando ludificati sunt. Libertatem prosperitatemque publicam pleno ore personantes, et per Ecclesiam Principesque summos stetisse, quominus ex iniqua servitute et egestate multitudo eriperetur, populo imposuerunt, eumque rerum novarum sollicitatum siti in oppugnationem utriusque potestatis incitaverunt. Nihilominus tamen speratarum commoditatum maior est expectatio, quam veritas: immo vero peius oppressa plebes magnam partem iis ipsis carere cogitur miseriarum solatiis, quae, compositis ad christiana instituta rebus, facile et abunde reperire potuisset. Sed quotquot contra ordinem nituntur divina providentia constitutum, has dare solent superbiae poenas, ut ibi afflictam et miseram offendant fortunam, unde prosperam et ad vota fluentem temere expectavissent.

Ecclesia vero, quod homines obedire praecipue et maxime iubet summo omnium principi Deo, iniuria et falso putaretur aut civili invidere potestati, aut sibi quicquam de iure principum arrogare. Immo quod civili potestati aequum est reddere, id plane iudicio con-

scientiaque officii decernit esse reddendum. Quod vero ab ipso Deo ius accessit imperandi, magna est ad civilem auctoritatem dignitatis accessio, et observantiae benevolentiaeque civium colligendae adiumentum non exiguum. Eadem amica pacis, altrix concordiae, materna omnes caritate complectitur; et iuvandis mortalibus unice intenta, iustitiam oportere docet cum clementia, imperium cum aequitate, leges cum moderatione coniungere: nullius ius violandum, ordini tranquillitatisque publicae serviendum, inopiam miserorum, quam maxime fieri potest, privatim et publice sublevandam. *Sed propterea putant, ut verba usurpemus Augustini, vel putari volunt, christianam doctrinam utilitati non convenire reipublicae, quia nolunt stare rempublicam firmitate virtutum, sed impunitate vitiorum*¹²⁾. — Quibus cognitis, hoc esset civili prudentiae admodum congruens, et incolumitati communi necessarium, principes et populos non cum Massonibus ad labefactandam Ecclesiam, sed cum Ecclesia ad frangendos Massonum impetus conspirare.

Utcumque erit, in hoc tam gravi ac nimis iam pervagato malo Nostrarum est partium, Venerabiles Fratres, applicare animum ad quaerenda remedia. — Quia vero spem remedii optimam et firmissimam intelligimus esse in virtute sitam religionis divinae, quam tanto peius Massones oderunt, quando magis pertimescunt, ideo caput esse censemus saluberrimam istam adversus communem hostem advocatam adhibere virtutem. Itaque quaecumque romani Pontifices Decessores Nostri decreverunt inceptis et conatibus sectae Massonum impediendis: quaecumque aut deterrendi ab eius modi societatibus aut revocandi causa sanxerunt, omnia Nos et singula rata habemus atque auctoritate Nostra Apostolica confirmamus. In quo quidem plurimum voluntate christianorum confisi, per salutem singulos suam precamur quaesumusque, ut religioni habeant vel minimum ab iis discedere, quae hac de re Sedes Apostolica praeceperit.

Vos autem, Venerabiles Fratres, rogamus, flagitamus, ut collata Nobiscum opera, extirpare impuram hanc luem quae serpit per omnes reipublicae venas, enixe studeatis. Tuenda Vobis est gloria Dei, salus proximorum: quibus rebus in dimicando propositis, non animus Vos, non fortitudo deficiet. Erit prudentiae vestrae iudicare, quibus potissimum rationibus ea, quae obstant et impediunt, eluctanda videantur. — Sed quoniam pro auctoritate officii Nostri par est probabilem aliquam rei gerendae rationem Nosmetipsos demonstrare, sic statuente, primum omnium reddendis Massonibus esse suam, dempta persona, faciem: populosque sermone et datis etiam in id Litteris episcopalibus edocendos, quae sint societatum eius generis in blandiendo alliciendoque artificia, et in opinionibus pravitas, et in actionibus turpitudine. Quod pluries Decessores Nostri confirmarunt, nomen sectae Massonum dare nemo sibi quapiam de causa licere putet, si catholica professio et salus sua tanti apud eum sit, quanti esse debet. Ne quem honestas assimilata decipiat: potest enim quibusdam videri, nihil postulare Massones, quod aperte sit religionis morumve sanctitati contrarium: verumtamen quia sectae ipsius tota in vitio flagitioque est et ratio et causa, congregare se cum eis eosve quoquo modo iuvare, rectum esse non licere.

Deinde assiduitate dicendi hortandique pertrahere

multitudinem oportet ad praecepta religionis diligenter addiscenda: cuius rei gratia valde suademus ut scriptis et concionibus tempestivis elementa rerum sanctissimarum explanentur, quibus christiana philosophia continetur. Quod illuc pertinet, ut mentes hominum eruditione sanentur et contra multiplices errorum formas et varia invitamenta vitiorum muniantur in hac praesertim et scribendi licentia et inexhausta aviditate discendi. — Magnum sane opus: in quo tamen particeps et socius laborum vestrorum praecipue futurus est Clerus, si fuerit, Vobis adnitentibus, a disciplina vitae, a scientia litterarum probe instructus. Verum tam honesta causa tamque gravis advocatam desiderat industriam virorum laicorum, qui religionis et patriae caritatem cum probitate doctrinaque coniungant. Consociatis utriusque ordinis viribus, date operam, Venerabiles Fratres, ut Ecclesiam penitus et cognoscant homines et caram habeant: eius enim quanto cognitio fuerit amorque maior, tanto futurum maius est societatum clandestinarum fastidium et fuga. — Quocirca non sine causa idoneam hanc occasionem nacti, renovamus illud quod alias exposuimus, Ordinem Tertium Franciscalum, cuius paullo ante temperavimus prudenti lenitate disciplinam, perquam studiose propagare tuerique oportere. Eius enim, ut est ab auctore suo constitutus, haec tota est ratio, vocare homines ad imitationem Iesu Christi, ad amorem Ecclesiae, ad omnia virtutum christianarum officia: proptereaque multum posse debet ad societatum nequissimarum supprimendam contagionem. Novetur itaque quotidianis incrementis isthaec sancta sodalitas, unde cum multi expectari possunt fructus, tum ille egregius, ut traducantur animi ad libertatem, ad fraternitatem, ad aequalitatem iuris: non qualia Massones absurde cogitant, sed qualia et Iesus Christus humano generi comparavit et Franciscus secutus est. Libertatem dicimus *filiorum Dei*, per quam nec Satanae, nec cupiditatibus, improbissimis dominis, serviamus: fraternitatem, cuius in Deo communi omnium procreatore et parente consistat origo: aequalitatem, quae iustitiae caritatisque constituta fundamentis, non omnia tollat inter homines discrimina, sed ex vitae, officiorum, studiorumque varietate mirum illum consensum efficiat et quasi concentum, qui natura ad utilitatem pertinet dignitatemque civilem.

Tertio loco una quaedam res est, a maioribus sapienter instituta, eademque temporum cursu intermissa, quae tamquam exemplar et forma ad simile aliquid valere in praesentia potest. — Scholas seu collegia officum intelligimus, rebus simul et moribus, duce religione, tutandis. Quorum collegiorum utilitatem si maiores nostri diuturni temporis usu et periclitatione senserunt, sentiet fortasse magis aetas nostra, propterea quod singularem habent ad elidendas sectarum vires opportunitatem. Qui mercede manuum inopiam tolerant, praeterquam quod ipsa eorum conditione uni ex omnibus sunt caritate solatioque dignissimi, maxime praeterea patent illecebris grassantium per fraudes et dolos. Quare iuvandi sunt maiore qua potest benignitate, et invitandi ad societates honestas, ne pertrahantur ad turpes. Huius rei causa collegia illa magnopere vellemus auspiciis patrociniisque Episcoporum convenienter temporibus ad salutem plebis passim restituta. Nec mediocriter Nos delectat, quod pluribus iam locis sodalitates eiusmodi, itemque coetus patronorum constituti sint: quibus propositum utrisque est honestam proletariorum classem iuvare, eorum liberos, familias, praesidio et custodia tegere, in eisque

12) *Epist.* CXXXVII, al. III ad Volusianum, c. V, n. 20.

pietatis studia, religionis doctrinam, cum integritate morum tueri. — In quo genere silere hoc loco nolumus illam spectaculo exemploque insignem, de populo inferioris ordinis tam praeclare meritam societatem, quae a Vincentio patre nominatur. Cognitum est quid agat, quid velit: scilicet tota in hoc est, ut egentibus et calamitosis suppetias eat ultro, idque sagacitate modestiae mirabili: quae quo minus videri vult, eo est ad caritatem christianam melior, ad miseriarum levamen opportunior.

Quarto loco, quo facilius id quod volumus assequamur, fidei vigiliaeque vestrae maiorem in modum commendamus iuventutem, ut quae spes est societatis humanae. — Partem curarum vestrarum in eius institutione maximam ponite: nec providentiam putetis ullam fore tantam, quin sit adhibenda maior, ut iis adolescens aetas prohibeatur et scholis et magistris, unde pestilens sectarum afflatus metuatur. Parentes, magistri pietatis, Curiones inter christianae doctrinae praeceptiones insistant, Vobis auctoribus, opportune commonere liberos et alumnos de eiusmodi societatum flagitiosa natura, et ut mature cavere discant artes fraudulentas et varias, quas earum propagatores usurpare ad illaqueandos homines consueverunt. Immo qui adolescentulos ad sacra percipienda rite erudiunt, non inepte fecerint, si adducant singulos ut statuam ac recipiant, inscientibus parentibus, aut non auctore vel Curione vel conscientiae iudice, nulla se unquam societate obligaturos.

Verum probe intelligimus, communes labores nostros evellendis his agro Dominico perniciosis seminibus haudquaquam pares futuros, nisi caelestis dominus vineae ad id quod intendimus benigne adiuverit. — Igitur eius opem auxiliisque implorare necesse est studio vehementi ac sollicito, quale et quantum vis periculi et magnitudo necessitatis requirunt. Effert se insolenter, successu gestiens, secta Massonum, nec ullum iam videtur per-

tinaciae factura modum. Asseclae eius universi nefario quodam foedere et occulta consiliorum communitate iuncti operam sibi mutuam tribuunt, et alteri alteros ad rerum malarum excitant audaciam. Oppugnationem postulat parem: nimirum boni omnes amplissimam quamdam coeant opus est et agendi societatem et precandi. Ab eis itaque petimus, ut concordibus animis contra progredientem sectarum vim conferti immotique consistant: iidemque multum gementes tendant Deo manus supplices, ab eoque contendant, ut christianum floreat vigeatque nomen: necessaria libertate Ecclesia potiatur: redeant ad sanitatem devii: errores veritati, vitia virtuti aliquando concedant. — Adiutricem et interpretem adhibeamus MARIAM Virginem matrem Dei, ut quae a conceptu ipso Satanam vicit, eadem se impertiat improbarum sectarum potentem, in quibus perspicuum est contumaces illos mali daemonis spiritus cum indomita perfidia et simulatione reviviscere. — Obtestemur principem Angelorum caelestium, depulsorem hostium infernorum, MICHAELEM: item IOSEPHUM Virginis sanctissimae sponsum, Ecclesiae catholicae patronum caelestem salutarem: PETRUM et PAULUM Apostolos magnos, fidei christianae satores et vindices invictos. Horum patrocinio et communium perseverantia precum futurum confidimus, ut coniecto in tot discrimina hominum generi opportune Deus benigne succurrat.

Caelestium vero munerum et benevolentiae Nostrae testem Vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque universo vigilantiae vestrae commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX Aprilis An. MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri Anno Septimo.

Leo PP. XIII.

Die Stellung und Vorlage der auf Ende 1883 abzuschließenden Rechnungen der kathol. kirchlichen Ortsfonds betr.

An die katholischen Stiftungskommissionen:

Nr. 10746. Nach § 60 der Verwaltungs- und §§ 111—112 der Rechnungs-Instruktion sollen die mit 31. Dezember 1883 abzuschließenden kirchlichen Fondsrechnungen spätestens auf 1. Mai l. Js. zur Abhör anher vorgelegt werden.

Da von den bezüglich ein-, zwei- und dreijährigen Rechnungen z. Bt. noch eine große Anzahl aussteht, bringen wir deren Einfindung anmit in Erinnerung und empfehlen den Herren Vorsitzenden der betr. Stiftungskommissionen für die thunlichst baldige Rechnungsvorlage Sorge zu tragen.

Karlsruhe den 5. Juni 1884.

Katholischer Oberstiftungsrath:

Siegel.

Endert.

Prürendauschreiben.

Nachstehende Prürenden werden anmit zur Bewerbung ausgeschrieben:

I.

Vorthal, Decanats Buchen, mit einem Einkommen von 2018 M. nebst 112 M. Gebühren für Abhaltung der gestifteten Jahrtage und für besondere gottesdienstliche Verrichtungen.

Bühlerthal, Decanats Ottersweier, mit einem Einkommen von 1922 *M.* nebst 89 *M.* 25 *S.* Anniversargebühren und mit der Verbindlichkeit, einen Vicar zu halten.

Gottenheim, Decanats Breisach, mit einem Einkommen von 1876 *M.*, worin die Anniversargebühren mit 311 *M.* 44 *S.* nicht inbegriffen sind, und mit der Verbindlichkeit, den ganzen Betrag von 1876 *M.* zur Bestreitung des Ruhegehalts des resignirten Pfründnießers jährlich abzugeben. Für die Lebensdauer des Letzteren besteht daher das Einkommen des künftigen Pfründinhabers in dem Staatsbeitrag von 1600 *M.*

Neckarau, Decanats Heidelberg, mit einem Einkommen von 1665 *M.* nebst 118 *M.* 97 *S.* Anniversargebühren.

Todtmoos, Decanats Wiesenthal, mit einem Einkommen von 4001 *M.* nebst 36 *M.* 65 *S.* Anniversargebühren und mit der Verbindlichkeit, zwei Vicare zu halten und eine Provisoriumsschuld, herrührend von der Herstellung der durch das Hochwasser beschädigten Pfarrmatte, deren Größe z. B. noch nicht genau bekannt ist, aber 400 *M.* nicht weit übersteigen wird, durch eine jährliche Zahlung von 80 *M.* auf Kapital und 5% Zins zu tilgen.

Die Bewerber um diese Pfründen haben ihre mit den vorgeschriebenen Zeugnissen belegten und an Seine Königl. Hoheit den Großherzog gerichteten Bittgesuche um Präsentation von Seite Allerhöchstdeßelben innerhalb sechs Wochen bei Großherzoglichem Ministerium der Justiz, des Kultus und Unterrichts einzureichen.

II.

Sumpfohren, Decanats Billingen, mit einem Einkommen von 2488 *M.*, worunter 60 *M.* für Abhaltung der Rothenbacher'schen Jahrtage, und mit der Verbindlichkeit, verschiedene Provisoriumsschulden im Betrag von 224 *M.* 95 *S.* durch eine jährliche Zahlung von 40 *M.* auf Kapital und Zins zu tilgen. Die Anniversargebühren betragen 46 *M.* 75 *S.*

Wentheim, Decanats Lauda, mit einem Einkommen von 1833 *M.*, worin die Anniversargebühren mit 88 *M.* 16 *S.* nicht inbegriffen sind.

Die Bewerber um diese Pfründen haben sich innerhalb sechs Wochen mit ihren mit den erforderlichen Zeugnissen belegten Bittgesuchen um Verleihung durch ihre vorgesetzten Decanate an Seine Excellenz, den Hochwürdigsten Herrn Erzbischof zu wenden.

III.

Wieden, Decanats Wiesenthal, mit einem Einkommen von 1932 *M.* nebst 66 *M.* 37 *S.* Anniversargebühren. Auf der Pfründe ruht die Abhaltung von 98 Stiftungsmessen.

Die Bewerber um diese der Terna unterworfenen Pfründe haben ihre mit den vorgeschriebenen Zeugnissen belegten und an Seine Königl. Hoheit den Großherzog gerichteten Bittgesuche um Designation von Seiten Allerhöchstdeßelben innerhalb sechs Wochen durch ihre vorgesetzten Decanate bei Großherzoglichem Ministerium der Justiz, des Kultus und Unterrichts einzureichen.

IV.

Osterburken, Decanats Buchen, mit einem Einkommen von 2789 *M.* nebst 185 *M.* 47 *S.* Anniversargebühren und mit der Verbindlichkeit, einen Vicar zu halten und eine Provisoriumsschuld von 47 *M.* 07 *S.* durch eine jährliche Zahlung von 17 *M.* 28 *S.* an den Kirchenfond Osterburken zu tilgen.

Sinsheim, Decanats Waibstadt, mit einem Einkommen von 1803 *M.*, worin die Anniversargebühren mit 73 *M.* 55 *S.* nicht inbegriffen sind.

Walbmühlbach, Decanats Mosbach, mit einem Einkommen von 2177 *M.*, ausschließlich 111 *M.* 29 *S.* Anniversargebühren, mit der Verbindlichkeit, eine Provisoriumsschuld von 73 *M.* 75 *S.*, verzinslich zu 5%, in Jahresterminen von 20 *M.*, erstmals auf Martini l. J. zu tilgen.

Die Bewerber um diese Pfründen haben ihre mit den vorgeschriebenen Zeugnissen belegten und an Seine Durchlaucht den Fürsten von Leiningen gerichteten Bittgesuche um Präsentation innerhalb sechs Wochen durch ihre vorgesetzten Decanate an die Fürstlich Leiningische Generalverwaltung in Amorbach (Bayern) einzureichen.

Resignationen.

Seine Excellenz der Hochwürdigste Herr Erzbischof Dr. Johannes Baptista Orbin haben die Resignation cum reservatione pensionis des Pfarrers und Priesterjubilars Johann Nepomuk Gschwander auf die Pfarrei Gottenheim, Decanats Breisach, unterm 10. Mai l. J. acceptirt.

Seine Excellenz der Hochwürdigste Herr Erzbischof Dr. Johannes Baptista Orbin haben die Resignation cum reservatione pensionis des Pfarrers Franz Xaver Hosp auf die Pfarrei Böhlingen, Decanats Konstanz, unterm 11. Juni l. J. acceptirt.

Seine Königliche Hoheit der Großherzog haben Sich unterm 24. April d. J. gnädigst bewogen gefunden, den Registrator Gustav Adolf Beh und den Expeditor Philipp Castorph beim Katholischen Oberstiftungsrath zu Kanzleiräthen zu ernennen.

Sterbfälle.

Den 27. Mai: Albert Kürzel, Pfarrer in Ettenheimmünster.

Den 10. Juni: Franz Sebastian Mosbacher, Pfarrer von Hasmersheim, † in Rippberg.

Den 10. Juni: Ignaz Gehr, Stadtpfarrer in Zell a. H.

R. I. P.

Beiträge für die Väter am hl. Grabe.

Decanat Triberg: Niedereischach 8 M. 75 S; Hausach 10 M.; Fischbach 4 M.; Güttenbach 5 M. 60 S; Furtwangen 10 M. 60 S; Tennenbronn 11 M. 50 S; Schenkzell 18 M. 50 S.

Decanat Engen: Nach 2 M.; Beuern a. d. A. 3 M.; Blumenfeld 2 M. 75 S; Büßlingen 9 M.; Ehingen 1 M. 13 S; Engen 6 M.; Mauenheim 2 M.; Riedöschingen 1 M. 78 S, Hr. Pfarrer 1 M. — sämmtlich Collecten pro 1883.

Decanat Wiesenthal: Minseln 3 M.; Hüg 5 M. 25 S — pro 1883. —

Decanat St. Leon: Eichtersheim 25 M.; Eppingen 10 M.; Hockenheim 12 M.; Keilingen 4 M. 60 S; Ketsch 10 M.; Kirrlach 5 M.; Kronau 7 M. 50 S; Landshausen 6 M.; Langenbrücken 10 M.; Malsch 25 M. 80 S; Minsgoldshheim 16 M.; Destrungen 20 M.; Rauenberg 18 M. 50 S; Rohrbach 6 M. 23 S; Roth 18 M. 72 S; St. Leon 20 M.; Stettfeld 10 M.; Tiefenbach 6 M.

Decanat Bruchsal: Bauerbach 8 M.; Bretten 16 M. 50 S; Bruchsal, St. Paul 8 M., St. Peter 14 M., Hofpfarre 24 M., Stiftspfarre 14 M.; Büchenau 7 M.; Büchig 7 M.; Flehingen 15 M.; Forst 11 M. 32 S; Heidelshheim 5 M. 20 S; Helmsheim 3 M.; Jöhlingen 7 M. 34 S; Karlsdorf 9 M.; Reibshheim 6 M. 33 S; Reuthard 6 M. 82 S; Obergrombach 8 M.; Oberöwisshheim mit Neuenbürg 3 M.; Sickingen 3 M. 20 S; Ubstadt 21 M. 41 S; Untergrombach 18 M.; Weingarten 8 M. 16 S; Wöschbach 5 M. 30 S.

Decanat Lauda: Bogberg 11 M.; Distelhausen 10 M.; Dittigheim 9 M.; Gerchsheim 8 M.; Gerlachshheim 8 M. 50 S; Grünsfeld 16 M. 60 S; Heckfeld 4 M.; Jlmspan 12 M. 30 S; Jmpfingen 15 M. 45 S; Königshofen 11 M. 6 S; Krenshheim 6 M. 10 S; Rückbrunn 5 M. 30 S; Kupprichhausen 9 M.; Messelhausen 4 M. 60 S; Unterhalbach 6 M.; Unterschüpf 3 M. 12 S; Unter- und Oberwittighausen 14 M.; Wilchband 8 M. 25 S; Wenkheim 8 M. 60 S; Zimmern 10 M.; Beckstein 7 M. 2 S.

Decanat Buchen: Hardheim 11 M. 58 S; Höpffingen 7 M. 7 S; Eubigheim 5 M.; Berolzheim 10 M.; Erfeld 5 M.; Gerichtstetten 8 M. 40 S; Brezingen 8 M.; Buchen 14 M.; Waldstetten 7 M.; Borzthal mit Rauenberg 7 M. 50 S; Gözlingen 10 M. 62 S; Reicholzheim 7 M.; Pülfringen 5 M.

Decanat Konstanz: Reichenau = Niederzell 4 M.; Dettingen 3 M. 50 S; Allensbach 3 M.

Decanat Heidelberg: Dilsberg 5 M. 70 S; Heidelberg 68 M. 14 S; Ivesshheim 8 M. 80 S; Leimen 6 M.; Mannheim, obere Stadtpfarrei 17 M. 40 S, untere Stadtpfarrei 10 M. 8 S; Neckarau 9 M.; Neckargemünd 13 M. 82 S; Neckarhausen 19 M. 24 S; Nußbach 6 M. 40 S; Rohrbach 5 M. 50 S; Sandhausen 5 M. 35 S; Schwesingen 10 M.; Seckenheim 7 M. 30 S; Walldorf 5 M.; Wieblingen 8 M. 71 S; Wiesbach 3 M. 45 S; Wiesloch 11 M.; Ziegelhausen 15 M.

Decanat Meßkirch: Bietingen 6 M. 50 S; Boll 2 M. 50 S; Buchheim 6 M. 50 S; Engelswies 3 M.;

Göggingen 9 M. 20 S.; Gutenstein 1 M. 80 S.; Hart-
heim 4 M. 20 S.; Heinstetten 1 M. 20 S., Gr. Pfarrer
Vanotti 1 M.; Heudorf 1 M. 50 S.; Kreenheinstetten 4 M.;
Leibertingen 1 M. 50 S.; Kast 1 M.; Sauldorf 50 S.;
Schwenningen 5 M.; Sentenhart, Gr. Pfarrer Pfeffer 3 M.;
Stetten a. N. 8 M. 65 S.; Worndorf, Gr. Pfarrer Frey
50 S.; Zell a. N. 7 M.; Ablach 50 S.; Menningen 4 M.
50 S.; Weßkirch 12 M. 17 S.

Decanat Freiburg: Reuthe 3 M.; Emmendingen
4 M.; Bombach 3 M.; Bleichheim 3 M.; Heuweiler 2 M.;
Glottenthal 28 M. 50 S.; Buchholz 3 M. 48 S.; Wald-
kirch 18 M.; Siegelau 2 M.; Oberwinden 4 M.; Oberbie-
derbach 3 M.; Elzach 13 M. 6 S.; Oberprechtal 7 M.
76 S.; Bleibach 10 M., Obersimonswald 7 M.; Unter-
simonswald 15 M.; Bähringen 6 M.; Neuershausen 7 M.;
Lehen 5 M.; Hochdorf 4 M. 50 S.

Decanat Gernsbach: Baden 50 M.; Bietigheim
14 M.; Elchesheim 6 M. 57 S.; Forbach 5 M. 24 S.;
Gernsbach 15 M.; Haueneberstein 8 M.; Kuppenheim 4 M.;
Michelbach 10 M.; Muggensturm 9 M. 50 S.; Niederbühl
10 M. 26 S.; Oberweier 13 M. 50 S.; Doss 10 M. 50 S.;
Rothenfels 10 M.; Steinmauern 10 M.; Wiesebach 6 M.

Decanat Ettlingen: Bulach 10 M. 50 S.; Bur-
bach 4 M. 12 S.; Pfaffenroth und Schielberg 11 M. 15 S.;
Busenbach 9 M.; Daxlanden 5 M. 70 S.; Durmersheim
26 M.; Ettlingenweier 8 M.; Karlsruhe 52 M. 42 S.;
Malsch 15 M.; Mörsch 5 M.; Stupferich 13 M.; Reichen-
bach 8 M. 50 S.; Völkersbach 6 M.; Au a. Rh. 4 M.;
Durlach 4 M. 5 S.; Ettlingen, Pfarrei 11 M. 50 S.,
Gr. Stadtpfarrer Armbruster 3 M.; Speffart 8 M. 9 S.;
Schöllbronn 8 M. 89 S.

Decanat Mosbach: Mosbach 5 M. 20 S.; Allfeld
7 M. 60 S.; Oberschefflenz 6 M. 65 S.; Rittersbach 9 M.;
Walbmühlbach-Kagenthal 8 M. 52 S.; Dallau 2 M. 55 S.;
Herbolzheim 3 M. 50 S.; Neckargerach 9 M. 50 S.; Obrig-
heim 6 M. 60 S.; Stein a. R. 7 M. 80 S.; Eberbach
12 M.; Strümpfelbrunn 5 M.; Lohrbach 3 M.; Neckarelz
3 M.; Neudenau 6 M. 20 S.; Billigheim 8 M. 50 S.

Decanat Waibstadt: Aglasterhausen und Unter-
schwarzach 7 M. 50 S.; Balzfeld und Horrenberg 22 M.;
Bargen 7 M. 15 S.; Dielheim und Baiertal 24 M.;
Elsenz 8 M. 25 S.; Grombach und Kirchhardt 3 M.; Haß-
mersheim 11 M. 50 S.; Heinsheim 4 M.; Hilsbach und
Weiler 5 M.; Mauer mit Filialen 5 M. 50 S.; Mühl-
hausen 11 M. 50 S.; Neunkirchen 6 M.; Obergimperr und
Untergimperr 12 M.; Richen 4 M. 50 S.; Rothenberg
5 M. 32 S.; Schluchtern 2 M. 50 S.; Siegelbach 5 M.
50 S.; Sinsheim und Dühren 13 M. 60 S.; Spechbach
mit Filialen 4 M. 63 S.; Steinsfurth mit Filialen 10 M.;
Waibstadt 10 M.; Zuzenhausen 4 M. 33 S.

Decanat Krautheim: Affamstadt 8 M. 87 S.;
Ballenberg mit Unterwittstadt 4 M. 20 S.; Erlenbach 3 M.
40 S.; Gommersdorf 15 M.; Klepsau 20 M.; Krautheim
7 M.; Oberwittstodt 17 M. 10 S.; Winzenhofen 3 M.

Decanat Tauberbischofsheim: Tauberbischofs-
heim 24 M. 20 S.; Dittwar 10 M.; Eiersheim 5 M.
50 S.; Gamburg 5 M.; Großrinderfeld 15 M.; Hochhausen
11 M. 54 S.; Hundheim 10 M. 29 S.; Königheim 10 M.;
Külzheim 5 M.; Poppenhausen 4 M. 50 S.; Schönfeld
16 M. 30 S.; Uiffigheim 5 M. 50 S.; Werbach 8 M.
50 S.; Werbachhausen, Pfarrei 12 M., Almojenfond 4 M.
57 S.; Wertheim 7 M.